



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

IV. De virtute operatiua substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

PUNCTUM IV.

De virtute operativa substantiae.

I **PRIMA CONCLUSIO.** Substantia potest immediate aliam substantiam producere. Hæc conclusio est contra omnes Thomistas, qui pugnacissime defendunt vnam substantiam creatam non posse aliam substantiam immediate, neque adequatè producere. Thomistas sequuti sunt ex nostris Vasquez 1. part. disput. 195. cap. 1. num. 10. Pereira in Physicis lib. 8. à cap. 11. Rub. tract. de causa efficiente, quæst. 6. num. 58. in commentariis excusis Compluti anno 1613. in excusis Valentiae oppositum sequutus. Nostram sententiam defendunt Scotus cum suis, & Ochamus cum Nominalibus adducti à P. Suar. Durand. in 1. dist. 1. quæst. 4. num. 13. P. Suar. in Metaphysic. disput. 18. sect. 2. num. 21. Conimbr. 2. Physic. quæst. 16. art. 2. & 6. Hurtad. disput. 9. sect. 3. Arriag. disput. 1. sect. 2. subsect. 4. Primum huius sententiæ fundamentum pando. Quotiescumque possumus causas naturales assignare effectibus, quos videmus in natura produci, non licet ad causas supernaturales, neque ad Deum recurrere: ergo debemus assignare causas materiales formis substantialibus, quas per crebras corruptiones, & generationes produci experimur. Pergo: sed nulla causa naturalis vnius formæ substantialis potest assignari præter aliam substantiam: ergo hæc debet assignari. Non posse aliam assignari constabit ex conclusione secundæ, quæ probabo accidens non posse esse causam adequatè productivam substantiæ, hanc rectè assignari sic probò: nulla maior potest desiderari proportio inter causam & effectum, quam illa, quæ est inter substantiam, & substantiam, neque in substantia potest excogitari ratio aliqua, propter quam illi pugnet posse immediate producere hanc substantiam, & ab illa produci: ergo virtus hæc productiva substantiæ, quæ accidenti concedi non potest, non est absque villa ratione ipsi substantiæ deneganda, ut teneamur recurrere ad Deum pro quolibet substantiali effectu producendo.

2. Sed age videamus quid prohibeat, vnam substantiam esse productivam alterius, vnum ignem aliis ignis eiusdem speciei, in quo nullum prædicatum relucet quod in altero non appareat. Dicunt Thomistæ non esse concedendum substantiæ creatæ, quod proprium est Dei, & esse proprium Dei posse immediate substantiam producere, & ita nefas est hanc virtutem creaturæ tribuere. Rectè quidem: ne substantia sibi diuinam perfectionem arroget, nolunt Thomistæ esse immediate productivam substantiæ, & eandem virtutem conferunt accidenti, quasi in hoc aliquid esset diuinum, quod sibi posset asserere prædicatum illud, quod prohibet pientissima Thomistarum religio substantiæ dari, ne illi diuinitatis aliquid impingamus. Fingat Thomistæ ignem esse immediate productivum aliis ignis: in illo aliquid diuinitatis reuerberetur: Absit. Nolo, recensere modum innumera capita, ex quibus virtus substantiæ immediate operatiue aliis substantiæ differret in virtute diuina, sufficit dicere hanc esse increatam independentem ab omni alia secundum se, & in ordine ad effectus producendos, & illam creatam dependentem à Deo secundum suam existentiam, & in ordine ad suas operationes, quas sine concursu Dei exercere non potest. Argumenti forma inefficax est: Deus immediate potest producere substantiam: ergo creatura id præstare non poterit: retorqueo modum inferendi: Deus immediate potest producere accidens: ergo creatura id efficere nequit. Deus est in se ipso sine subiecto inhaesionis: ergo Angelus non poterit esse in se ipso sine subiecto inhaesionis. Pessimus inferendi modus, plurima enim, quæ conueniunt creaturis, etiam conueniunt Deo, omnia tamen longo discrimine distita, quidquid enim habet creatura est dependens à Deo, & quidquid habet Deus est independentem ab omni alio.

3. **SECUNDA CONCLUSIO.** Accidens non potest esse causa adequata productiva substantiæ. Conclusionem hanc defendunt omnes, qui præcedentem propugnant. Scoti ratio magni momenti semper est. Accidens est imperfectius substantiæ: ergo non potest esse causa adequata illius: nullus in dubium vertit antecedens. Probo consequentiam: effectus secundum se totum dependet à principio adequato efficienti: ergo totus continetur in virtute adequata efficientis: sed entitas perfectior non potest virtuali-

ter contineri in alia imperfectiori: ergo substantia non potest contineri in virtute accidentis. Respondent Thomistæ accidens operari in virtute substantiæ, & ita posse producere substantiam illo perfectiorem, & æquè perfectam cum alia substantia, in virtute cuius accidens operatur. Contra: operari accidens in virtute substantiæ est operari simul cum substantia immediate operante, vel tantum per suam entitatem: non primum, quia iam substantia esset immediate operatiua, & accidens non esset principium adequatè substantiæ: ergo quidquid sit operari in virtute substantiæ, accidens quod ita operatur, operatur præcisè per suam entitatem, à qua tota procedit operatio: sed hæc semper remanet imperfectior substantiæ: ergo non potest illa in sua virtute contineri. In hoc: sæpè substantia, à qua sunt producta accidentia in virtute cuius dicuntur operari, est corrupta, vel absens, dum accidentia operantur quid ergo prodest accidenti operari in virtute substantiæ, quæ non est quo modo poterit talis substantia accidens eleuare ad effectum producendum perfectiorem ipso accidenti, ad quem accidens per suam entitatem est improporcionatum?

4. **VRGO:** Quando animalia ex putrefactione terræ generantur, nulla est substantia, in virtute cuius accidentia producant illa animalia: ergo illa accidentia non concurrunt in virtute alius substantiæ. Antecedens probò: nulla est substantia, quæ sit productiva muris, neque quæ ex se intendat producere omnia accidentia requisita ad substantiam muris: si enim aliqua esset, debebat esse alius muris: sed muris non producit: ergo illa accidentia non habent substantiam in virtute cuius concurrant: ergo in hoc & aliis similibus casibus, in quibus Thomistæ recurrunt ad naturam accidentis operantis in virtute substantiæ illorum doctrina subsistere non potest. Dices concurrere in virtute speciei. Vacua verba: species nullam habent virtutem præter illam, quam habent indiuidua, & repugnat reperiri in specie virtutem in aliquo indiuiduo non reperiunt, sed nullum ex indiuiduis specierum, de quibus agimus, habet virtutem producendi aliud: ergo neque in specie eorundem talis virtus potest agnosci.

5. **ALITER** respondent alij, substantiam in virtute cuius operatur accidens deriuare virtutem aliquam accidenti, ratione cuius possit eluari ad producendum substantiæ effectum. Sed neque hi difficilius impugnantur. Mitto in productionibus, de quibus modò agebam non reperiiri substantiam, in virtute cuius accidens operetur, quæ in illud virtutem hanc deriuat, & argumentor sic: virtus illa deriuata vel est substantia, vel accidens: si est accidens de illa eadem est difficultas, ac de accidenti, in quod deriuatur: si est substantia vel immediate attingit productionem substantiæ, vel non: si immediate attingit, iam effectus immediate dependebat à substantia & non adequatè ab accidenti, quod nos intendimus: si non attingit, nihil magis præstat illa virtus deriuata accidenti, in quod fuit deriuata, quam præstabat substantia, à qua fuit deriuata, cum totum effectum producendum relinquat accidenti ex se improporcionato. Totam impugnationem huius dicendi modi, accides concurrere in virtute substantiæ, & ita posse producere effectum illo perfectionem, his cingo: Accidens per suam entitatem est imperfectius substantiæ & improporcionatum ad producendum substantiam, sed quidquid sit producere in virtute substantiæ nihil addit supra suam entitatem: ergo semper remanet accidens imperfectius substantiæ, & cum eadem improporcionem: ergo nunquam poterit substantiam producere. Si scire desideres quid nos doceat Angelicus Doctor cum dicit accidens operari in virtute substantiæ. Respondeo: Angelicum Doctorem docere accidens esse virtutem quandam datam substantiæ, ut media illa operetur, & ita dici operari in virtute substantiæ quia tota sua entitas, quæ à sua virtute non distinguitur, substantiæ fuit data, propter quam est accidens quod non tam dicitur ens, quam entis ens, hoc est ens substantiæ, & eadem ratione, quæ dicitur accidens ens substantiæ, seu illius affectio, dicitur virtus substantiæ, quod non illi præstat excellentiam aliquam supra suam entitatem, ratione cuius possit attingere effectum, ad quem ex se est improporcionatum. Hanc esse mentem Angelici Doctoris ostendo ex Caietano Contr. 2. de anima, punct. 1. ad finem.

6. **TERTIA CONCLUSIO.** Accidentia non habent virtutem adhuc inaduatam ad producendum substantiam, neque cum hac concurrunt ad aliam substantiam producendam. Probo hanc conclusionem ex eo præcisè, quod nullum sit

fit fundamentum, quod suadeat accidentibus inesse virtutem inadaquatam ad accidentia producenda, neque ratione aliqua, quae suadeat unum ignem non esse causam adaequatam aliis ignis, & quia neque virtutes sine fundamento entitatis sunt concedendae, neque sine illo sunt multiplicandae partiales causae pro aliquo effectu. Neque utilitatem aliquam reperio in hac virtute in accidentibus reperta, quia quando accidentia sunt separata à substantiis, cum illa non sufficiant adaequatè substantiam producere, recurrendum est ad Deum ut suppleat defectum substantiae: ergo etiam si accidentia talem virtutem non haberent, possemus etiam recurrere ad Deum ut suppleret influxum causae adaequatae. Quando accidentia substantiam comitantur, potest tota virtus actiua tribui substantiae: ergo nihil movet ad hanc virtutem accidentibus tribuendam: non ergo illis sine fundamento danda est. Dicunt nonnulli hanc virtutem dari in accidentibus, ut substantiae mediis accidentibus cum quibus unum principium effectuum adaequatum efficiant, possint aliam substantiam producere in passo distanti: v.g. ut Sol possit aurum effectiue producere medio calore approximatus, quia simul cum illo unum principium adaequatum constituit, quod si non constitueret non posset ratione distantiae aurum producere. Respondeo sine hac virtute productiua substantiae in accidentibus reperta, rem aliter esse componendam, vel hanc virtutem denegandam.

QUARTA CONCLUSIO. Non repugnat dari accidens, quod possit simul cum substantia aliam substantiam producere per virtutem inadaquatam, quam habeat ad illam producendam. Hanc conclusionem probabo ex eo quod praecedens altiores non habeat radices, praeter illas, quas ad illam persuadendam ostendi, quae non probant, non posse dari accidens, quod talem virtutem non habeat, sed tantum non esse fundamentum, ut haec virtus accidentibus, quae modò existunt concederetur. Ceterum dupliciter potest habere accidens virtutem inadaquatam ad substantiam producendam. Primò potest habere virtutem productiivam ad producendam substantiam cum alia substantia quae per se solam possit substantiam producere, non tamen renuat adiuvari virtute accidentis ad effectum quem sine illius consortio posset producere. Secundò potest dari accidens habens virtutem inadaquatam producendi substantiam, cum alio principio substantiali, quod similiter ex se sit principium inadaquatum non potens sine illo accidenti substantiam producere. Affirmo utroque modo posse convenire accidenti possibili hanc inadaquatam virtutem: Erit ratio: nullam implicationem involvere naturam talis accidentis, neque esse de ratione substantiae non posse produci ab accidenti tanquam à principio inadaquato, neque non posse cum accidenti constituere principium adaequatum alius substantiae, cum enim sint plures substantiae, quae non possint aliam, etsi similem producere, neque inadaquatè, cur non poterit esse aliqua, quae tantum possit inadaquatè, & non adaequatè, neque est contra rationem accidentis esse productivum substantiae per virtutem inadaquatam, & cum principio alio substantiali ex se adaequato, siue inadaquato, hic & nunc unum principium adaequatum constituere huius effectus ex vi huius causalitatis. Haec omnia constabunt ex argumentorum solutione.

Obiic. Accidens ex se est improporionatum ad producendam substantiam: ergo nequibit simul cum substantia substantiam producere. Distinguo antecedens: accidens, quod modò existit, concedo: accidens praecise ex praedicato accidentis, subdistinguo: est improporionatum ad producendam substantiam per modum principij adaequati, concedo: per modum principij inadaquati concurrentis cum alio principio substantiali, nego. Instant; nullum est praedicatum, quod possit correspondere in effectu substantiali principio accidentali: ergo non potest neque inadaquatè substantia ab accidenti procedere. De hac correspondentia praedicatorum inter effectum & causam dicam punct. 9. interim dico, omnia praedicata effectus substantialis posse correspondere praedicato specifice principij accidentalis, non formaliter, sed eminenter, quia omnia possunt in virtute illius contineri, non tanquam in virtute seu principio adaequato, sed tanquam in principio inadaquato, neque alia praedicatorum correspondentia necessaria est inter causam, & principium inadaquatam, praeter correspondentiam virtutis continentis emi-

nenter, & effectus eminenter contenti, quae nullam dicunt correspondentiam formalem praedicatorum eiusdem rationis inter effectum & principium inadaquatam, neque omnium, sed aliquorum quae postea assignabo inter effectum & adaequatum principium. Rursus constat: omnia praedicata, quae sunt in effectu substantiali sufficienter correspondere principio substantiali: ergo non possunt correspondere principio accidentali. Distinguo antecedens: correspondent formaliter, transeat: correspondentia enim formalis non arguit virtutem adaequatam, neque inadaquatam. Angelus enim secundum omnia praedicata correspondet Angelo quem non potest producere: correspondent eminenter, subdistinguo: in substantiis possibilibus, quae tantum habent virtutem inadaquatam ad producendum effectum, correspondent eminenter tanquam principio adaequato, nego: tanquam principio inadaquato, concedo; In aliis, quae sine accidenti possent producere substantiam, correspondent omnia praedicata effectus ex vi causalitatis, per quam possent sine accidenti effectum producere, concedo: ex vi aliis causalitatis, per quam possunt cum accidenti effectum eum producere correspondent omnia praedicata effectus tanquam principio adaequato, nego: tanquam principio inadaquato, concedo, quia principium ex se potens sine aliis consortio ex vi huius causalitatis effectum adaequatè producere, ex vi illius, quae per se dependet ab illo principio, & ab alio, non potest non esse principium inadaquetum effectus, neque medià illà potest effectum adaequatè producere, neque illum adaequatè continet, sed tantum inadaquatè per ordinem ad talem causalitatem.

Obiic. D. Thom. 1. p. q. 5. art. 4. asserentem substantiam non esse immediatè operativam substantiae. Interpretor D. Thomam dicentem substantiam non esse immediatè operativam aliis substantiae, quia prius producit accidens & medio illo disponit subiectum, quia dispositione praemissa substantia productionem attingit aliis substantiae medio accidenti tanquam dispositione, non verò medio illo tanquam virtute effectiua.

Obiic. nullam posse assignari causam praeter accidentia multis substantiis, quae producuntur naturaliter, ex quo inferitur necessariò accidentibus virtutem effectivam illarum concedendam esse. Respondeo: omnia esse componenda absque virtute effectiua accidentium respectu substantiae. De quibus dicam Controu....

PUNCTUM V.

De natura instrumenti, seu causae instrumentalis.

PROlixas disputationes vidi apud aliquos de natura, seu ratione constitutiua causae instrumentalis. Ego verò in hac re nihil speciale notatu, nedum disputatu dignu inuenio. P. Vazquez 1. part. disp. 43. & saepe alibi causam principalem appellat illam, cui correspondet aliquod praedicatum in effectu; causam verò instrumentalem illam, cui nullum praedicatum correspondet: v. g. lumen gloriae & potentia visiva efficienter concurrunt ad visionem beatificam vitalem, & supernaturalem, quae supernaturalis est indiget lumine supernaturali, quae vitalis indiget potentia vitali, & ita utrique causae suum praedicatum correspondet in effectu, ratione cuius, causae principalis rationem utraque habet; accidens verò concurrens ad productionem substantiae, in qua nullum illi praedicatum correspondet non dicitur principalis, sed instrumentalis causa. Non ego in meis principiis haec compono, sentio enim omni virtuti productiuae correspondere effectum tanquam virtuti, in qua eminenter continetur, & omnem aliam correspondentiam non requiri ad rationem causae. Statui insuper accidentia non posse concurrere ad substantiam producendam & ita teneo aliam instrumenti rationem assignare.

Sentiunt alij instrumenta dici accidentia, quae subiectu disponunt ad formam recipiendam, mediis quibus agens operatur, & in hoc sensu existimo accidentia propriis dici instrumenta quacumque alia causa immediatè attingente substantiam, quia sicut artifex mediis instrumentis statum conficit, sic substantia mediis accidentibus tanquam dispositionibus substantia producit, licet similitudo non teneat in omnibus, nam, ut postea dicam, instrumenta artis propriè non sunt instrumenta, quia effectiue concurrunt.